

1590 editur; regii primi in hostes tormenta haud exiguo detrimento contorquent; ingentium pilarum ejaculatione foederati respondent: conferta pugna, acerrime dimicatur. Rex ingenti victoria potitur: totus fere foederatorum peditatus deletus, equites partim caesi, partim in Dura amne demersi; quadringenti in hostium potestatem vivi pervenere. Agamontius, Belgicorum auxiliorum ductor, interfectus; vexilla pleraque, quatuor ac viginti signa Helvetiorum capta, qui, inclinata victoria, Regi se dedidere.

Fractis eo praelio foederatorum viribus, Rex Lutetiam contendit. Corbolum oppidum ad Sequanam, Lanium ad Matronam, ac Melodunum capit; Carantonum pontem urbi propinquum occupat. Namursius, Maynio fratre absente, Lutetiae praerat. Vel Principum negligentia, vel privatorum foecordia, in civitatem annona commeatue minime investo, obsidionem cum ferre Parisienses diu non possent, vehementi concionatorum dicendi vi ac suasionibus sustentabantur, qui frequentibus ad populum orationibus omnes prius quam haeretico (ut ajebant) sese Principi submitterent, extrema quaeque pati hortabantur. Iisque ita incensa in Regem plebs efferebatur, ut supremas quasque clades atque ærumnas obsefae urbis potius subire, quam ejus imperio parere statueret. Concionatorum eloquentiae Sorbonici collegii auctoritatem adjungunt; duo exquirunt: alterum, *an Cardinali (quem Carolum decimum vocabant) extincto, Ecclesiae reconciliatum Henricum Borbonium pro Rege Galli agnoscere debeant*; alterum, *an qui pacem suadeat, vel pro facultate non impediatur, ut haeresis suspectus, vel fautor sit habendus: an Divina haec lege praescripta sint; an absque mortiferae noxae culpa, aeternae damnationis poena permitti possint; an quacumque ratione Navarreo obsistere, merito adscribendum sit; an qui necem eam ob causam subierit, martyrii palmam assequatur*. His petitionibus jurejurando Sorbonici respondent: *Haeresi infectum hominem, ac quicumque ei faverit, Ecclesiae hostis fuerit, Divina lege a regno arceri; quanto magis denuo lapsum, atque ab Apostolica Sede anathemate damnatum, licet is delicti veniam in exteriori (ut ajunt) foro obtinuisset, cum praesertim ex ipsius simulatione, ac perfidia catholicae religionis evertendae periculum*

*Prælium
inter regios
& foederatos.*

*Henrici
Regis de foederatis
victoria.*

im-